MASTER NEGATIVE NO. 93-81175-4

AUTHOR:

SCHLIACK, CARL
FRIEDRICH GUSTAV

TITLE:

DE LOCIS QUIBUSDAM
EURIPIDEIS ...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

[1874]

Master Negative #

93-81175-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88ED
Z7

Schliack, Carl Friedrich Gustav, 1848-
De locis quibusdam Euripideis quaestiones criticae et exegeticae ... Halis Saxonum, typis Orphanotrophei, [1874].
41 p. 23 cm.

Thesis. Halle.
Volume of pamphlets

~~D88ED~~
~~Z8~~
~~v.1~~

~~Copy in Classics Reading Room.~~

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-18-93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

LOCIS QUIBUSDAM EURIPIDEIS QUAESTIONES CRITICAE ET EXEGETICAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XIII. M. IANUARII A. MDCCCLXXIV HORA XI

IN AUDITORIO MAXIMO

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS FRIDERICUS GUSTAVUS SCHLIACK

NEOMARCHICUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT

ROBERTUS BEYERSDORFF, STUD. PHIL.

CAROLUS BRANDT, STUD. THEOL.

HALIS SAXONUM

TYPIS ORPHANOTROPHEI.

PATRI CARISSIMO

HUNC LIBELLUM

PIO GRATOQUE ANIMO

DEDICAT

AUCTOR.

Euripides ut et universa indole et moribus rationibusque, quas in instituenda vita sequeretur, multum diversus fuit ab iis viris, quibuscum una vulgo laudatur ut graecae tragoediae clarissimus auctor, ab Aeschylo et Sophocle, ita in ipsis eius tragoediis facile cognoscitur et sententiarum quas expressit et sermonis quo usus est insignis ab illis differentia et proprietas. Deduxisse tragoediam ex deorum heroumque solemni coetu in hominum quotidianas consuetudines et necessitates ab adversariis ipse iam sua aetate arguebatur; sanctas illas veterum fabularum et summa religione ab Aeschylo nec non a Sophocle cultas personas, Orestes Electras, Agamemnones Menelaos, Ulixes Achilles, vulgo dicitur pro apparatu tantum quodam moris antiqui solemnitate tradito usurpasse, quo ipse quae sentiret, quae cogitando invenisset, quae in contemplanda sorte humana dubitationes sibi de summa rerum iniecissent, conderet atque indueret. Fuerunt enim in Euripide duae, ut ita dicam, naturae atque indoles inter se dissimillimae, poetica indoles non fortasse impar nec Aeschyleae nec Sophocleae, qua, genus mortale quibuscunque animo movetur gaudiis, cupiditatibus, doloribus, dignis poeta sententiis et verbis reddere idoneus erat, altera philosophica quaedam, qua causas rerum et rationes eorum, quae in vita hominum videbat iniuste et secus atque sibi debere videbantur facta, cognoscere frustra studebat. Quae duae indoles cum natura inter se paene ex adverso oppositae sint, etiam fabularum Euripi-

dearum oratio saepe inaequalitatem multam habet, ut nunc vatem sanctissimo ore verba magna sonantem animumque imum moventem cum admiratione audire tibi videaris, nunc, causam in medio positam dum argumentis subtilissimis et exquisitissimis personarum duarum dialogo impugnat continuoque defendit, sophistam te legere, non poetam putes. Quare in cognoscendis secernendisque interpolationibus, quibus Euripideas fabulas Sophocleis et Aeschyleis multo magis inquinatas esse constat, non facile est iustum modum constituere, quia saepissime, quidnam indignum hoc poeta, quid ferendum esse videatur, vix diiudicari potest. Contra oratio Euripidea sophistarum scholis exculta et polita, sermo purus et liquidus, sententiarum dilucidus progressus et conexus efficit, ut legentes in omni obscuritate et difficultate etiam leviore haereamus, et, quoniam cetera facillime perspiciantur et sine offensa legantur, ea, quae non statim intellegamus nec accurate inter se consentiant atque cohaereant, depravata et ad librariorum neglegentiam referenda esse suspicemur. Itaque cum in Aeschylo emendando opus sit ingenio et quadam divinatione, qualis fuit Hermanni, in Euripideis fabulis tractandis excusari mihi illa sermonis simplicitate videtur, si quis vel minus artis criticae callidus emendandi munus suscipere audeat; nam sufficere videtur interdum animum in legendo diligenter et acriter ad rem ipsam attendisse, ut quid ratio postulet perspiciatur et qua via in corrigendo ingrediendum sit cognoscatur, etiam si nondum multo huius artis usu certas emendandi leges tibi proposueris. Ipse veniam me huius incepti impetraturum esse ideo quoque spero, quod immodestiae quidem et audaciae in coniciendo crimen non facile me subiisse puto nec fere mutationes ullas suscepi difficiles et magnas.

Haec praefatus iam ad ea, quae mihi proposui, pergo. Versuum numeros ad exemplar alterius editionis Nauckianae exhibui.

Hec. 402 sqq. Polyxena certantes inter se et vociferantes Hecubam et Ulixem, dum hic ad mortem trahere virginem in tumulo Achillis immolandam conatur, illa obsistit ac ne a filia divellatur obnititur, admonet ut rixari desinant et illum ut ignoscat matri dolore ad iracundiam accensae, matrem ne potentioribus repugnet precatur. Versus 404 sqq. hi sunt:

σύ τ', ὦ τάλαινα, τοῖς κρατοῦσι μὴ μάχου.
βούλει πεσεῖν πρὸς οὖδας ἑλκῶσαί τε σὸν
γέροντα χρῶτα πρὸς βίαν ὠθουμένη,
ἀσχημονῆσαί τ', ἐκ νέου βραχίονος
σπασθεῖσ'; ἃ πείσει. μὴ σύ γ'· οὐ γὰρ ἄξιον.

Ita interpungunt Porsonus, Hermannus, Kirchhoffius, nec aliam verborum constructionem indicare videtur Nauckius, cum sic interpungit: *σπασθεῖσ', ἃ πείσει; μὴ σύ γ'· οὐ γὰρ ἄξιον*, nempe eam, ut verbis *ἃ πείσει* Polyxenam graviter affirmantem fingat, ea passuram esse matrem, quae ante enumeraverit. Quod mihi non recte videntur facere. Nam ita si interponitur affirmatio *ἃ πείσει*, tollitur sequentis adhortationis vis, vocis *μὴ σύ γε* dico, quae ubi aut ipsa aut simile quid aliis locis invenitur, post id ipsum, quod quis facere vetatur, statim additur, nulla voce interiecta. Quod ut fiat, ipsa harum vocularum natura cogit. Ea enim, quae iis praecedunt, eiusmodi semper sunt, ut nulla ratione fieri debere demonstrentur, quippe quae vix digna sint quae quis cogitet atque eloquatur, nedum quae agendo perficiat; itaque illico, ubi voce prolata sunt, refutationem requirunt. Sic Phoen. 531 sq.: *Τί τῆς*

κακίστης δαιμόνων ἐφίεσαι, φιλοτιμίας, παῖ; μὴ σύ γ'· ἄδικος ἡ θεός. Phoen. 574 sqq.: σκῦλα γράψεις πῶς ἐν Ἰνάχου ῥοαῖς; Θήβας πυρώσας τάσδε Πολυνείκης θεοῖς ἀσπίδας ἔθηκε; μήποτ', ὦ τέκνον, κλέος τοιόνδε σοι γένοιθ' ὑφ' Ἑλλήνων λαβεῖν. Jon 436 sqq.: νουθετητέος δέ μοι Φοῖβος, τί πάσχει· παρθένους βίᾳ γαμῶν προδίδωσι, παῖδας ἐκτεκνούμενος λάθρᾳ θνήσκοντας ἀμελεῖ. μὴ σύ γ'· ἀλλ' ἐπεὶ κρατεῖς, ἀρετὰς δίωκε. Soph. Phil. 1367 sqq.: εἶτα τοῖσδε σὺ εἶ ξυμμαχήσων, κἄμ' ἀναγκάζεις τόδε; μὴ δῆτα, τέκνον· ἀλλ' κ. τ. λ. Similiterque id quod eandem vim habet, si quis se ipsum facere aliquid vetat, οὐ δῆτα, quam habet μὴ σύ γε, si vetat alium, velut Hec. 365 sqq.: Λέχη δὲ τἀμὰ δοῦλος ὠνητός ποθεν χρανεῖ τυράννων πρόσθεν ἠξιωμένα. οὐ δῆτ'. κ. τ. λ. Alc. 555. Andr. 408 sqq. Hel. 939. Heracl. 507. Soph. Oed. R. 1375 sqq. Oed. Col. 431 sqq. Ubique omnis harum vocularum vis in eo est, quod statim et tanquam eodem dicentis spiritu iis, quae refutanda sunt, subiunguntur. Idem igitur etiam illo loco Hecubae, de quo disputo, efficiendum esse iudico efficiturque facillime interpunctione mutata hunc in modum: Βούλει πεσεῖν πρὸς οὖδας ... ἀσχημονῆσαί τ', ἐκ νέου βραχίονος σπασθεῖσ' ἃ πείσει; μὴ σύ γ'· οὐ γὰρ ἄξιον. Sic relativa enuntiatione, ἐκ νέου βραχίονος σπασθεῖσ' ἃ πείσει, explicatur, qualia ἀσχήμονα πράγματα intellegat Polyxena, quo modo inhonestam speciem praebitura sit mater, unde futurum sit ut illud ἀσχημονῆσαι efficiatur. Pluribus id illustrari sic potest, ut relativam enuntiationem demonstrativae vim habere dicamus per γὰρ particulam verbo ἀσχημονῆσαι adiunctae hunc in modum: τοιαῦτα γὰρ ἐκ νέου βραχίονος σπασθεῖσα πείσει, scilicet ὥστε ἀσχημονῆσαι. Sic in Herc. Fur. versibus 816 sq. est: ἆρ' εἰς τὸν αὐτὸν πίτυλον

ἥκομεν φόβου, γέροντες, οἷον φάσμ' ὑπὲρ δόμων ὁρῶ; i. e., τοιοῦτον γὰρ φάσμα ὑπὲρ δόμων ὁρῶ, ·ὥστε δεδοικέναι, μὴ εἰς τὸν αὐτὸν πίτυλον φόβου ἥκωμεν. Hel. 924: τήν τ' ἀθλίαν ἔμ', οἷσιν ἔγκειμαι κακοῖς, ῥῦσαι, ubi relativam enuntiationem ad ἀθλίαν referendum esse puto, non ad ῥῦσαι, quod durum esset. Similisque ratio est relationis, cum post exclamationes, quales sunt οἴμοι ἐγώ, τλάμων ἐγώ, ὢ μέλεος, aliae, id cur quis ita exclamet, per relativam enuntiationem adseritur, velut Soph. Oed. Col. 1399 sqq.: οἴμοι κελεύθου τῆς τ' ἐμῆς δυσπραξίας, οἴμοι δ' ἑταίρων, οἷον ἆρ' ὁδοῦ τέλος Ἄργους ἀφωρμήθημεν. Eur. Hel. 461: ὦ δύστηνος, οἷ πέπλευκ' ἄρα. Troad. 498 sq.: οἵ ἐγὼ τάλαινα, διὰ γάμον μιᾶς ἕνα γυναικὸς οἵων ἔτυχον ὧν τε τεύξομαι, et sescentis aliis locis, ubi semper illa οἴμοι, οἳ ἐγώ etc. per enunciationem relativam explicantur minimeque hae enuntiationes ipsae tanquam exclamationes sunt intellegendae nec ab interiectionibus, quae praecedunt, segregandae, sed pendent inde et arctissime cum iis cohaerent. Valent enim idem, quod alibi genetivi ad talia adiecti, velut: ὢ σχέτλιος παθέων ἐγώ (Andr. 1179) φεῦ φεῦ τῶν σχετλίων πόνων καὶ στυγερᾶς ζόας (El. 120 sqq.), pro quibus facillime et rectissime substituere quis possit: ὢ σχέτλιος ἐγώ, οἷα πάθη πάσχω. φεῦ φεῦ ὡς σχετλίοις πόνοις καὶ στυγερᾷ ζόᾳ συνεζύγην; post quos genetivos olim quidem et ipsos exclamationis nota poni solebat, nunc vero recte ubique omissa est. Apparet etiam iustam esse nostram de hac re opinionem ex Helenae versu 857: ὢ ἐγὼ τάλαινα· τῆς τύχης γὰρ ὧδ' ἔχω, ubi ita haec relatio expressa est, ut supra eam illustravimus. — Atque ut iam redeam ad eum locum, de quo dum prolixius disputo, aliquantum digressus sum, affirmatione illa, quae efficitur, si verba ἃ πείσει inter-

punctione a praecedentibus separamus, certe res non eget; nam cum ita quaerat Polyxena: *βούλει πεσεῖν ... ἑλκῶσαι ... ἀσχημονῆσαι*, iam id ipsum factum iri, satis, opinor, dicit. Denique *ἐκ νέου βραχίονος* multo melius iungi puto cum verbis *ἃ πείσει*, quam cum participio *σπασθεῖσα*; nam *σπασθεῖσα ἐκ νέου βραχίονος* ambigue dictum esset, et periculum est, ne ab eo, qui audiat vel legat, de ea intellegatur, quae ex brachiis et amplexu iuvenis alicuius avellatur, veluti Hec. 277 est: *ἱκετεύω τέ σέ, μή μου τὸ τέκνον ἐκ χερῶν ἀποσπάσῃς*; contra *πάσχειν τι ἔκ τινος* omnium est frequentissimum; cf. Hec. 252: *ὃς ἐξ ἐμοῦ μὲν ἔπαθες, οἷα φῄς παθεῖν*. Med. 692. 1353. 1406. Andr. 901—3. El. 682. Herc. Fur. 569.

Iph. Aul. 956 sqq. Achilles de Calchante haec dicit:

> *τίς δὲ μάντις ἔστ᾽ ἀνήρ,*
> *ὃς ὀλίγ᾽ ἀληθῆ, πολλὰ δὲ ψευδῆ λέγει*
> *τυχών· ὅταν δὲ μὴ τύχῃ, διοίχεται;*

In quibus quae nunc est interpunctio, facile qui legit inducitur, ut participium *τυχὼν* aut ad *πολλὰ δὲ ψευδῆ λέγει* solum pertinere putet aut ad utrumque, et *ὃς ὀλίγ᾽ ἀληθῆ λέγει* et *πολλὰ δὲ ψευδῆ λέγει*. Est autem *τυχὼν* ad prius membrum unum referendum; *τυχὼν* enim hoc loco est qui forte recte coniecit, qui forte nactus est ut eventus cum eo quod ipse praedixerat congrueret, id quod probatur iis quae sequuntur, *ὅταν δὲ μὴ τύχῃ, διοίχεται*. Verba autem *πολλὰ δὲ ψευδῆ* interiecta sunt oppositionis causa, ut distinctius significarentur quae antecedunt, *ὀλίγ᾽ ἀληθῆ*, ceterum cum reliqua sententia non sunt coniungenda sed interpunctione potius inde segreganda sic: *ὃς ὀλίγ᾽ ἀληθῆ, πολλὰ δὲ ψευδῆ, λέγει τυχών·*

ὅταν δὲ μὴ τύχῃ, διοίχεται. Quod omnino non monuissem, nisi Hermannum in simili re, in versu Cyclopis 592 suae editionis, *μέμφει τὸν ἐραστήν, κἀντρυφᾷς, πεπωκότα*, verbum *κἀντρυφᾷς* diligenter distinguendo ab reliquis separasse viderem ideoque adductus essem, ut in hoc Iphigeniae versu, ubi neglegit hanc interpunctionem, non satis accurate verborum relationem animadvertisse eum suspicarer.

El. 291 sqq. Orestes mentione caedis et funeris paterni graviter commotus sororem iubet ingemiscens pluribus Agamemnonis mortui contumelias enarrare, ut ipse fratri, a quo se missum esse simulat, renuntiare possit. Addit vv. 294—296 haec:

> *ἔνεστι δ᾽ οἶκτος ἀμαθίᾳ μὲν οὐδαμοῦ,*
> *σοφοῖσι δ᾽ ἀνδρῶν· καὶ γὰρ οὐδ᾽ ἀζήμιον*
> *γνώμην ἐνεῖναι τοῖς σοφοῖς λίαν σοφήν.*

Ex his postrema sic intellegi iubet Matthiaeus: „nimia sapientia, v. c., si quis sapientis non esse putat misereri et idcirco omnem misericordiam ex animo eicit, damno est hominibus;“ et eadem sententia fuisse videtur Grotii, quem in editione Seidleri duplicem in modum hos versus latine reddidisse adnotatum video, primum sic: „Non vilis animi motio est miserescere, Sed mentis altum providae noxa imminet, Cum sapere sese qui putant sapiunt nimis,“ iterumque alio quodam loco sic: „solet Non absque damno sapere qui nimium sapit.“ Utrumque sententiam horum versuum non perspexisse puto. Neque enim omnino de iis agitur, qui sapere se putant, dum ceterorum hominum dolores et calamitates a se aliena existimant, sed duo hominum genera discernit poeta, indoctorum, qui sapientiae doctrina non exculti sunt, et eorum

qui sapiunt, i. e., qui de rebus humanis meditati recte de iis iudicant. Ex quibus illi, ferocibus suis cupiditatibus solis incitati, contemplatione sortis humanae ad humanitatem non emolliti, dum id tantum, quod sibi prosit et se iuvet, appetunt, aliorum dolores nihil ad se pertinere existimant ideoque misericordiae nullum ad se aditum concedunt; contra alteri, qui miserrimam hanc hominum condicionem animo perpenderunt et, ut est in Hippolyto, longas noctis horas saepe meditando produxerunt, mortalium vita quibus causis tam misere pereat, non sua ipsorum solum, sed etiam ceterorum hominum mala ingenuo cum dolore simul persentiscunt et miserantur. Hi igitur cum, sapientiae studio ad misericordiam magis parati et proni, dolores tanquam fructum sapientiae auferant, idque eo magis, quo altius eas cogitationes animo perceperint, recte et cum tristitia illa, quae propria est huius poetae profundo mirum in modum ingenio, dicuntur ab eo hanc tanquam poenam nimiae suae sapientiae studiique sibi efficere. Omnia autem ea addit Orestes, ut non tam curiositate molesta, quam ingenii humanitate atque ingenua indole commotus exquirere Agamemnonis crudele fatum videatur et fidem suam Electrae commendet.

Phoen. 301 sqq. Iocasta a choro Phoenissarum domo evocata, ubi aspexit Polynicem filium urbem ingressum, ut de componenda pace cum Eteocle ageret, laetabunda mox versibus 312 sqq. haec dicit:

τί φῶ σε; πῶς ἅπαντα
καὶ χερσὶ καὶ λόγοισι
πολυέλικτον ἁδονὰν
ἐκεῖσε καὶ τὸ δεῦρο;
περιχορεύουσα τέρψιν παλαιᾶν λάβω
χαρμονᾶν;

Hunc locum non intellexisse mihi videtur Geelius, qui haec adnotat: „Nec *περιχορεύουσα* nimis premendum est: audacter enim dictum videtur de solo complexu.“ Nec intellexisse illa apparet scholiastas, cum *πολυέλικτον ἁδονὰν* illustrent per *πολύστροφον, πολύπλεκτον, ποικίλην, τὴν πανταχόθεν με ἔχουσαν ἡδονήν*, quam interpretationem probasse videtur Valckenarius, cum in eius adnotationibus nihil ad eam refutandam additum inveniam. Sane enim et *περιχορεύουσα* et *πολυέλικτον* propriam suam vim retinent; pro eo vero, quod Geelius in iis inesse vult, ne ab audacissimo quidem poeta dici poterant, quia nulla in translatione primaria eorum quae transferuntur vis prorsus oblitterari et immutari debet. *Πολυέλικτον ἁδονὰν* nihil aliud significat quam quod in prosa oratione dicitur *χορόν*, et pendet ex participio *περιχορεύουσα* ex nota illa ratione, ut in versibus eiusdem fabulae 1753 sqq.: *Καδμείαν ᾧ νεβρίδα στολιδωσαμένη πότ' ἐγὼ Σεμέλας θίασον ἱερὸν ὄρεσιν ἀνεχόρευσα*, accusativi *θίασον ἱερὸν* pendent ex verbo *ἀνεχόρευσα*, et sescentis aliis locis similia inveniuntur. Circumscriptionem autem illam, qua *πολυέλικτον ἁδονὰν* choreas vocat, adamasse quodammodo Euripides videtur, qui in versu huius fabulae 338 *παιδοποιὸν ἁδονὰν* pro matrimonio dicit; Hipp. 1302 *παρθένειος ἡδονὴ* pro virginitate, quem quidem versum Nauckius in curis suis Euripideis argumentis non aptis ut spurium eicere mihi videtur; El. 125. *πολύδακρυν ἁδονὰν* pro lacrimis; similiterque El. 596 sq.: *φίλας μὲν ἡδονὰς ἀσπασμάτων ἔχω*, Iph. Aul. 199: *Διομήδεά θ' ἡδοναῖς δίσκου κεχαρημένον*, Bacch. 866 sq.: *ὡς νεβρὸς χλοεραῖς ἐμπαίζουσα λείμακος ἡδοναῖς.* Itemque ad adiectivi *πολυέλικτον* vel potius ad verbi, unde derivatum illud est, proprium in re saltatoria usum quae comparentur praesto sunt

multa, veluti El. 178 sqq.: *οὐδ᾽ ἱστᾶσα χοροὺς Ἀργείαις ἅμα νύμφαις εἱλικτὸν κρούσω πόδ᾽ ἐμόν.* Troad. 2 sq. 332 sq. Iph. Aul. 1054. 1480. El. 435. Bacch. 569 sq. Herc. Fur. 689 sq. Ad verba *τέρψιν παλαιᾶν λάβω χαρμονᾶν* quod conferatur est in Hel. 634 sq.: *περὶ δὲ γυῖα χέρας ἔβαλον, ἡδονὰν ὡς λάβω, ὦ πόσις.* — *ἅπαντα* autem pertinet ad ea quae sequuntur, *τέρψιν παλαιᾶν λάβω χαρμονᾶν*, et eadem haec fere sunt atque: *πῶς ἅπαντα τέρπωμαι τὰς παλαιὰς χαρμονάς.* Ad universam verborum constructionem apte conferri potest Bacch. 905 sqq.: *ἕτερα δ᾽ ἕτερος ἕτερον ὄλβῳ καὶ δυνάμει παρῆλθεν.* Haec igitur dicit Iocasta: „quomodo omni ex parte, et amplexando et alloquendo, huc illuc simul circumsiliens, pristinis fruar gaudiis?“ In quibus nihil inest, quod offensionem habeat; nam eum, qui inexspectato aliquo gaudio exsultet, in loco suo non manere, huc illuc trepidare et quodammodo saltare, id mihi prorsus apte dici videtur.

Med. 811 sqq. Medeam postquam frustra chorus admonuit, ne liberorum caede scelus inexpiabile committeret, amoenitate et sanctitate terrae Atticae clarissimo carmine celebrata, sic pergit vv. 846 sqq.:

Πῶς οὖν ἱερῶν ποταμῶν
ἢ πόλις ἢ φίλων
πόμπιμός σε χώρα
τὰν παιδολέτειραν ἕξει
τὰν οὐχ ὁσίαν μετ᾽ ἄλλων.

Verborum horum ordinem non bene mihi videntur perspectum habuisse Elmsleius et eum qui sequuntur, qui sic ea iungunt: *πῶς οὖν ἢ πόλις ἱερῶν ποταμῶν ἢ φίλων πόμπιμος χώρα σε τὰν παιδολέτειραν ἕξει*, comparantque Aristoph. Av. 417:

ὁρᾷ τι κέρδος ἐνθάδ᾽ ἄξιον μονῆς, ὅτῳ πέποιθέ μοι ξυνὼν κρατεῖν ἂν ἢ τὸν ἐχθρὸν ἢ φίλοισιν ὠφελεῖν ἔχειν; i. e., *ὁρᾷ . . . ὅτῳ πέποιθέ μοι ξυνὼν ἔχειν ἂν ἢ κρατεῖν τὸν ἐχθρὸν ἢ φίλοισιν ὠφελεῖν*; Etenim nec quod genetivis continetur attributum, *ἱερῶν ποταμῶν*, alteri tantum disiunctionis membro, *πόλει*, convenit, sed utrique membro et praecipue fortasse alteri, *χώρᾳ*, nec *πόμπιμος φίλων* soli tribuendum est *χώρᾳ*, sed etiam *πόλει*. Itaque sic potius verba ordinanda esse puto: *πῶς οὖν ἱερῶν ποταμῶν ἢ πόλις ἢ χώρα σε ἕξει φίλων πόμπιμος*, et genetivos, *ἱερῶν ποταμῶν*, pro attributo ad utrumque, et *πόλις* et *χώρα*, refero, *πόμπιμος φίλων* autem ut nomen praedicativum arte cum praedicato, *ἕξει*, cohaerere puto, ut paene in unam notionem coalescant, nempe prosequendi et tutandi amicos, idemque valeant, quod, si licet novum nec tamen, spero, inauditum verbum fingere, significaret *φιλοπομποῦσα*. Quae sic fere latine verto: „Quî igitur sacrorum illorum fluviorum aut urbs aut terra te habebit amicorum prosecutrix vel tutatrix, i. e., te prosequetur ut amicam vel tutabitur?“ Particulas *ἢ — ἢ* apte fortasse etiam reddere possis per „aut — aut etiam,“ i. e., „aut urbs — aut, si minus urbs, at saltem terra.“ Praerepto enim et in initio posito communi attributo, *ἱερῶν ποταμῶν*, efficitur quodammodo, ut postea demum choro in mentem venire videatur disiungere terram ab urbe et, cum primo tantum de urbe cogitarit, in loquendo demum de terra, quae receptura sit fortasse liberorum interfectricem ab urbe ipsa sanctissima repudiatam, mentio incidat. Deinde si *πόμπιμος φίλων* minus aptum videtur, quia Aegeus non se prosecuturum Athenis sine periculo Medeam, sed in urbe ipsa excepturum esse promisit, ea difficultas non ex nostra verborum dispositione fluxit,

sed est etiam in illa, quam Elmsleius secutus est, ut iam scholiasta, qui eundem ordinem instituit, eo confugiat ut interpretetur: *πόμπιμος: ἡ τὴν ἐκπεμφθεῖσαν ὑποδεχομένη, οὐκ αὐτὴ πόμπιμος οὖσα*, quam interpretationem non puto probandam esse, sed cum vi quadam minus propria magisque generali *πόμπιμος* latine reddendum esse per „tutatrix;“ ab qua significatione etiam quod est in Phoenissarum versu 984: *πόμπιμος ὁ δαίμων*, non longe abesse videtur. Denique si quis in confusione verborum haeret, num ita expediri possit, ut proposui, certe non difficilior aut violentior haec est ordinatio, quam illa quam supra attuli Elmsleii. Ad genetivos *ἱερῶν ποταμῶν* ita pro attributo ad substantivum *πόλις* relatos comparat Elmsleius Phoen. 825: *πύργους διδύμων ποταμῶν*; possunt etiam, ne insolentia dicendi in hoc usu inesse videatur (ut inesse ait Hermannus in adnotationibus ad Elmsleianam Medeae editionem), conferri Iph. Taur. 134 sq.: *χόρτων τ᾽ εὐδένδρων ἐξαλλάξασ᾽ Εὐρώπαν.* Phoen. 801: *ὦ ζαθέων πετάλων πολυθηρότατον νάπος, Ἀρτέμιδος χιονοτρόφον ὄμμα Κιθαιρών.* Andr. 1039: *δυστάνων τεκέων ἄλοχοι.* —

Illis autem versibus Aristophanis, Avium 417 sqq., quos ad hunc locum laudat Elmsleius, uti fortasse quis melius possit ad defendendam lectionem codicum in Rhes. v. 968 sq. traditam. Hectori corpus Rhesi sepulcro condere parato respondet Musa mortui mater de coelo delapsa, non subiturum esse filium terrae tenebras, impetraturam enim se precibus a Proserpina, ut eius animam remittat; ac sibi quidem tanquam mortuum illum fore in posterum et qui lucem solis non aspiciat; neque enim conventurum iam cum ipsa nec matrem revisurum esse; sed sub antris Thraciae sedem habiturum vivum, *ἀνθρωποδαίμονα.*

κἀμοὶ μὲν ὡς θανών τε κοὐ λεύσσων φάος
ἔσται τὸ λοιπόν· οὐ γὰρ εἰς ταὐτόν ποτε
οὔτ᾽ εἶσιν οὔτε μητρὸς ὄψεται δέμας,
κρυπτὸς δ᾽ ἐν ἄντροις τῆς ὑπαργύρου χθονὸς
ἀνθρωποδαίμων κείσεται βλέπων φάος.

Scilicet in adnotatione ad illum versum Kirchhoffius: „legendum *ἔτ᾽ εἶσιν οὐδὲ μητρὸς ὄψεται δέμας,*“ quod Nauckius in textu posuit. Verum si Aristophani dicere licuit *ὅτῳ πέποιθέ μοι ξυνὼν κρατεῖν ἂν ἢ τὸν ἐχθρὸν ἢ φίλοισιν ὠφελεῖν ἔχειν*, separata particula *ἢ* ab ea notione, quacum arte coniuncta esse debebat, et postposita, vereor ne Euripidi quoque vel quicunque Rhesum fabulam scripsit concedendum sit, ut eadem libertate uti potuerit in postponenda particula *οὔτε.* Conferri etiam apte posse videntur, quae leguntur apud Xenophontem in Conviv. II, 11: *εἰς οὖν ταῦτα (τὰ ξίφη) ἡ ὀρχηστρὶς ἐκυβίστα τε καὶ ἐξεκυβίστα ὑπὲρ αὐτῶν*, in quibus similiter longo intervallo segregatum ab ea vocula, ad quam pertinet, scilicet a praepositione *εἰς*, sequitur *τε* nec minus eum, qui primum illa legit, offendit, quam in illis Rhesi versibus offendit *οὔτε.* Nec denique inepte hic afferre mihi videor locum ex nostrorum poetarum aliquo saeculi XIII, Conrado Wirceburgensi, qui in carmine, quod inscribitur Engelhard, versibus 4046 sqq. haec dicit: „geloube mir daz ich für die maget minneclich wâgen sol êr unde leben. diu beidiu wil ich durch si geben enweder in den strengen tôd oder si von sender nôt loesen unde enbinden.“ Non puto minus dure hoc loco postpositam esse particulam „enweder“ quam in Rheso est *οὔτε* aut apud Aristophanem *ἤ*, et si hoc nobis tolerabile est, illa etiam tulisse existimo Graecos, qui in ordinandis et

transponendis verbis sermonis sui minus artis vinculis tenebantur, quam quibus nos nostra lingua impedimur.

In antistropha, quae illi strophae respondet, quam supra tractavimus, in libris leguntur haec, Med. 856 sqq.:

Πόθεν θράσος ἢ φρενὸς ἢ
χειρὶ τέκνων σέθεν
καρδίᾳ τε λήψῃ
δεινὰν προσάγουσα τόλμαν;

Quae bene explicari nulla ratione posse editores omnes consentiunt ob eamque rem alius aliam corrigendi viam inierunt. Ex quibus coniecturis plurimum probabilitatis habet ea, quam in textu suo posuit Nauckius, scilicet hanc *πόθεν θράσος ἢ φρενὸς ἢ χειρί, τέκνον, σέθεν καρδίᾳ τε λήψῃ*, quae tamen ipsa ideo displicet, quod ego quidem non video, quid *καρδίᾳ* aliud esse possit, quam quod iam inest in genetivo *φρενός*; itaque si nihil novi affert *καρδία*, abundat atque languet. Mihi in mentem quondam venit pro *τε* post *καρδίᾳ* scribendum esse *'πὶ*, qua emendatione certe non audaci effici mihi videbatur, ut plane et sine salebris oratio procederet. Id ipsum postea inveni apud Matthiaeum inter varias lectiones ex codice Florentino A. Vossii enotatum, qui tamen codex (b. Kirchhoffii), „ex Byzantini alicuius grammatici recensione conscriptus, et quidem neglegentissime," secundaria tantum auctoritate esse a Kirchhoffio censetur. Itaque cum veri similius videretur me in corrigendo in eandem coniecturam incidisse atque illum Byzantinum nec pro genuinae lectionis vestigio hanc discrepantiam esse habendam, dubitationem mihi potius hic consensus de suspicione mea iniecit quam confidentiam. Nihilo tamen secius quo modo intellegam locum, *τε* illo in *'πὶ* mutato, exponere lubet. Refero enim verba *τέκνων σέθεν καρδίᾳ 'πὶ* ad ea quae sequuntur, *δεινὰν προσάγουσα τόλμαν*, unde hic verborum ordo efficitur: *Πόθεν θράσος ἢ φρενὸς ἢ χειρὶ λήψῃ δεινὰν τόλμαν προσάγουσα ἐπὶ τέκνων σέθεν καρδίᾳ*; Genetivus *φρενὸς* et dativus *χειρὶ* pertinent ad verba *πόθεν θράσος λήψῃ*; casuum varietatem ita explico, ut genetivum *φρενὸς* ex uno substantivo *θράσος*, dativum *χειρὶ* ex substantivo *θράσος* cum verbo *λήψῃ* in unam notionem verbalem confuso pendere iudicem. Similis prorsus eorundem casuum ex aequo ad unum substantivum pertinentium coordinatio est apud Xenophontem in Anab. IV, 5, 19: *Ἦν δὲ τοῖς μὲν ὀφθαλμοῖς ἐπικούρημα τῆς χιόνος, εἴ τις μέλαν τι ἔχων πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν πορεύοιτο, τῶν δὲ ποδῶν, εἴ τις κινοῖτο καὶ μηδέποτε ἡσυχίαν ἔχοι κ. τ. λ.*, ubi dativi *τοῖς ὀφθαλμοῖς* et genetivi *τῶν ποδῶν* eadem ratione ad verba *ἦν δὲ ἐπικούρημα* ita referuntur, ut *τοῖς ὀφθαλμοῖς* ex substantivo arcte cum verbo coniuncto, *τῶν ποδῶν* ex substantivo solo pendeat. Plura similis licentiae exempla collegit Lobeckius ad Soph. Aj. p. 332 alterius editionis, quibus addi possunt ex Euripide El. 198 sqq.: *Οὐδεὶς θεῶν ἐνοπὰς κλύει τᾶς δυσδαίμονος, οὐ παλαιῶν πατρὸς σφαγιασμῶν*, i. e., „sacrificiorum olim a patre oblatorum" (Seidler). Troad. 375 sq.: *ἔθνησκον οὐ γῆς ὅρι' ἀποστερούμενοι οὐδ' ὑψιπύργου πατρίδος.* Omnium autem talium audacissimum est Phoen. 306 sq.: *ἀμφίβαλλε μαστὸν ὠλέναισι ματέρος παρηΐδων τ' ὄρεγμα βοστρύχων τε κυανόχρωτα χαίτας πλόκαμον, σκιάζων δέραν ἀμάν.* nam cum *ἀμφιβάλλειν* duplicem in modum iungi cum casibus suis possit, ut aut dicatur *τινὶ τι* aut *τινά τινι* (cf. Andr. 796 sqq. Bacch. 1364. Herc. Fur. 421. similiterque *περιβάλλειν τινά τινι* Cycl. 330. Or. 25. Suppl. 501), conflatae hic sunt hae duae constructiones, *ἀμφίβαλλε μαστὸν ματέρος ὠλέναισι* et *ἀμφίβαλλε ματρὶ*

(haec enim magis generalis notio pro *μαστῷ ματέρος* substituenda est, sicut in versibus Soph. Trach. 548 sq.: *ὧν ἀφαρπάζειν φιλεῖ ὀφθαλμὸς ἄνθος, τῶν δ' ὑπεκτρέπει πόδα·* ad *ὑπεκτρέπει* supplendum est *ἀνὴρ* ex *ὀφθαλμὸς* duriuscule) *παρηΐδων τ' ὄρεγμα βοστρύχων τε κυανόχρωτα χαίτας πλόκαμον*, quod in tanta verborum et ad significationem et ad constructionem flexibilitate, quanta propria est sermoni Graeco, ferendum nec ut „omnibus syntacticis regulis“ repugnans cum Geelio respuendum esse puto. Nec alienum est, quod Hipp. 186 sqq. legitur: *κρεῖσσον δὲ νοσεῖν ἢ θεραπεύειν· τὸ μέν ἐστιν ἁπλοῦν, τῷ δὲ συνάπτει λύπη τε φρενῶν χερσίν τε πόνος*, quem locum si in memoria habuisset Hermannus, non dixisset, opinor, in adnotatione ad Ionis versum 991 (qui hic est: *ἣ παισὶν αὐτῆς σύμμαχον, θεῶν πόνον*, scil. *τίκτει Γῆ Γοργόνα;*), si recte haberet versus vulgata interpunctio et interpretatio, scripturum potius fuisse Euripidem *θεοῖς πόνον*. — Porro ne quis forte obiciat, si id dicere voluisset poeta, quod ego suspicor, scribendum ei fuisse *ἐπὶ καρδίαν τέκνων σέθεν προσάγουσα δεινὰν τόλμαν*, multa praesto sunt exempla, quibus praepositionem *ἐπὶ* sequente dativo saepissime verbis motum significantibus apponi probetur, ita ut, quo ille motus tendat quidve petat, per eam praepositionem indicetur, ex quibus haec affero: Phoen. 1379: *ᾖξαν δρόμημα δεινὸν ἀλλήλοις ἔπι.* Bacch. 1189 sqq.: *ὁ Βάκχιος κυναγέτας σοφὸς σοφῶς ἀνέπηλεν ἐπὶ θήρᾳ τοῦδε Μαίναδας.* Herc. Fur. 835 sqq.: *μανίας τ' ἐπ' ἀνδρὶ τῷδε καὶ παιδοκτόνους φρενῶν ταραγμοὺς καὶ ποδῶν σκίρτημα ἔλαυνε κίνει.* ibid. 907: *μελάθρων τάραγμα ταρτάριον, ὡς ἐπ' Ἐγκελάδῳ ποτὲ Παλλάς εἰς δόμους πέμπεις.* Rhes. 576: *ἐφ' ᾧπερ (Ἕκτορι) ἔγχος εἵλκυσται τόδε.* 578: *ἴσως ἐφ' ἡμῖν μηχανὴν στήσων τινά*

(quo vix quidquam similius illis Medeae versibus inveniri potest). Soph. Aj. 450 sq.: *νῦν δ' ἡ Διὸς γοργῶπις ἀδάματος θεὰ ἤδη μ' ἐπ' αὐτοῖς χεῖρ' ἐπευθύνοντ' ἐμὴν ἔσφηλεν* (quo simul prohibetur ne quis in illis exemplis *ἐπὶ* in tmesi esse dicat), ibid. 772: *ἐπ' ἐχθροῖς χεῖρα φοινίαν τρέπειν.* ibid. 44. 18 sq. Differre autem paullum inter se mihi videntur *ἐπὶ* cum dativo et *ἐπὶ* cum accusativo coniuncta; hoc enim simpliciter, ad vel usque ad quem locum dirigatur motus demonstrat, illud vero ita plerumque eius motus finem ostendit, ut simul hostilis quidam impetus et infesta petitio et studium penetrandi et percutiendi alicuius obstaculi subintellegatur. Itaque hoc, de quo disputamus, loco recte legitur *ἐπὶ καρδίᾳ*, contra in Electrae versibus 324 recte est: *τίνος δ' ἕκατι τάσδ' ἐπ' ἀγραύλους πύλας προσῆλθον;* cum nihil hic nisi finis itineris locusque, usque ad quem perrexerunt Orestes et Pylades, significetur. — Jam vero si quis *τέκνων καρδίᾳ* non tolerandum esse pro *τέκνων καρδίαις* opinatur, in versu 851 est: *σκέψαι τεκέων πλαγάν, σκέψαι φόνον οἷον αἴρῃ:* 901 sq.: *Ἆρ', ὦ τέκν', οὕτω καὶ πολὺν ζῶντες χρόνον φίλην ὀρέξετ' ὠλένην;* 1403: *ὄμμα φαιδρὸν ὡς εἶδον τέκνων.* 1071: *ὦ φιλτάτη χείρ, φίλτατον δέ μοι κάρα καὶ σχῆμα καὶ πρόσωπον εὐγενὲς τέκνων.* 1399 sq.: *ὤμοι φιλίου χρῄζω στόματος παίδων ὁ τάλας προσπτύξασθαι.* 1403: *μαλακοῦ χρωτὸς ψαῦσαι τέκνων.* Alc. 348: *σοφῇ δὲ χειρὶ τεκτόνων δέμας τὸ σὸν κ. τ. λ.* Rhes. 784 sq.: *θείνοντε (δύο λύκω) δ' οὐρᾷ πωλικῆς ῥινοῦ τρίχα ἤλαυνον*, innumerata alia. — Ad sensum denique, qui efficitur illa mutatione confer Heracl. 583: *ἡμὴ καρδία σφαγήσεται.* — Accedit quod vitium unde irrepserit bene intellegitur, quoniam qui codicem descripsit, cum non satis ad sententiam et consociationem verborum animum

attenderet, facile dativorum duorum, *χειρὶ* et *καρδίᾳ*, propinquitate adduci potuit, ut eos eodem pertinere et per *τε* particulam coniungendos esse arbitraretur.

Suppl. 195 sqq. Adrasto clades suas conquesto et roganti Atheniensium principem, ut auxilium sibi suisque ferat mortuorumque ducum corpora a Thebanis deposcat, respondet Theseus, se alios iam non sine studio et contentione (*ἐπόνησα*) refutasse hominum condicionem miserantes quasi prae malorum multitudine non tolerabilem (195—200); bene enim et benigne mortalium vitam a diis institutam atque exornatam esse (201—213); quosdam autem homines superba mente elatos modum suum adeo excedere, ut deos contemnant et ipsis mente atque consilio inferiores putent (214—218); ex horum numero sibi Adrastum quoque esse videri, qui Tydeo et Polynici deorum irae obnoxiis filias suas in matrimonium collocasset domumque suam lautam et candidam scelestis illis receptis iuquinasset (*ἧς καὶ σὺ φαίνει δεκάδος οὐ σοφὸς γεγώς, ὅστις κ. τ. λ.*). Hoc igitur dicit vel potius ex universa huius loci sententia dicere debet (neque enim accurate verba, quae initio nunc exstant, vertendo reddidi), et cum aliis iam se hac de re disputasse et nunc invenisse cui idem exprobandum esset Adrastum. Nunc vero orationem suam sic incipit Thesus: *ἄλλοισι δὴ 'πόνησ' ἁμιλληθεὶς λόγῳ τοιῷδ'.* „cum aliis non sine contentione certavi tali sermone," debet autem ordiri: „cum aliis iam, cum aliis quoque certavi;" scribendum igitur est: *κἄλλοισι δὴ 'πόνησ' ἁμιλληθεὶς λόγῳ τοιῷδε·* nam *δὴ* quidem perticulam ita usurpatam, ut idem significaret atque *ἤδη*, non memini me unquam legere, contra *καὶ — δὴ* hanc vim tam saepe et paene propriam habet, ut opus non esse putaverim exempla colligere, quae verbi causa Herodotum legenti paene

in una quaque pagina occurrunt. Itaque *καὶ* deesse hoc loco non potest, non magis quam in Heraclidarum versu 144: *πολλῶν δὲ κἄλλων ἑστίας ἀφιγμένων, ἐν τοῖσιν αὐτοῖς τοισίδ' ἕσταμεν λόγοις.*, nec *δὴ* solum hic sufficit, ut non sufficeret *ἄλλως δή ποτε νυκτὸς ἐν μακρῷ χρόνῳ θνητῶν ἐφρόντισ', ᾗ διέφθαρται βίος* in Hippolyti versibus 374 sq., ubi potius recte legitur *ἤδη πότ' ἄλλως νυκτὸς ἐν μακρῷ χρόνῳ κ. τ. λ.* — Quomodo autem factum sit ut librarius *ἄλλοισι* pro *κἄλλοισι* scriberet, causa manifesta est. Crasis enim duarum syllabarum in manuscriptis codicibus saepissime non indicatur litteris; quae res librarios nonnunquam in errorem duxisse videtur, ut abundare syllabam opinarentur versusque numeros turbari; haec deinde fortasse causa fuit, cur hanc quam superfluam putarent syllabam omitterent, imprimis si vocula monosyllaba in ea contineretur, velut *καί, μή, δέ, γέ, σέ, μέ,* vel *α* privativum, aliae. Velut El. 383 sine dubio recte restituit Kirchhofffius *οὐ μὴ ἀφρονήσεθ', οἳ κενῶν δοξασμάτων πλήρεις πλανᾶσθε*; cum traditum esset *οὐ μὴ φρονήσεθ' κ. τ. λ.*, idem Phoen. 1672: *οὐ μὴ ἐς γάμους σοὺς ξυμφορὰν κτήσῃ γόοις*; pro eo quod in libris est: *οὐκ εἰς γάμους κ. τ. λ.*, Portus in Helenae versu 1045: *οὐκ ἄν σ' ἀνάσχοιτ' οὐδὲ σιγήσειεν ἂν κ. τ. λ.*, pro codicum lectione: *οὐκ ἂν ἀνάσχοιτ' κ. τ. λ.*, et alia quae adnotationes criticas comparanti multa occurrunt.

Eadem de causa Electrae quoque versum 315 depravatum esse suspicor, ubi nunc legitur: *μήτηρ δ' ἐμὴ Φρυγίοισιν ἐν σκυλεύμασι θρόνῳ κάθηται, πρὸς δ' ἕδρας Ἀσιάτιδες δμωαὶ στατίζουσ', ἃς ἔπερσ' ἐμὸς πατήρ.* [ἕδραισιν Ἀσιδες] Nam quamvis interdum poetae licentius solo dativo utantur, ut ubi quid fiat significent, velut in Ionis versu 314 legitur *ναοῖσι δ' οἰκεῖς τοισίδ' ἢ κατὰ στέγας*; tamen verba sedendi nusquam sic cum

2*

dativo casu iuncta apud Euripidem invenire me memini, sed quoscunque enotavi locos huc spectantes, in iis accusativum potius hoc munere fungi video. Velut Heracl. 394 sq.: *λεπαίαν δ᾽ ὀφρύην καθήμενος.* Ion. 91 sq.: *θάσσει δὲ γυνὴ τρίποδα ζάθεον Δελφίς.* Iph. Taur. 276 sq.: *ναυτίλους δ᾽ ἐφθαρμένους θάσσειν φάραγγ᾽ ἔφασκε τοῦ νόμου φόβῳ* (nam *ι* dativi elidi non posse nunc quidem inter omnes constat). itemque Andr. 117. Ion 1479 sq. Or. 871. Herc. Fur. 48: *βωμὸν καθίζω τόνδε σωτῆρος Διός*, quocum confer El. 980. Ion. 366. 1314. 1317. Iph. Aul. 141 sq. Hel. 1107 sq.: *σὲ τὰν ἐναυλείοις ὑπὸ δενδροκόμοις μουσεῖα καὶ θάκους ἐνίζουσαν ἀναβοάσω.* Hel. 1571 sqq.. *Ἑλένη καθέζετ᾽ ἐν μέσοις ἑδωλίοις . . ., ἄλλοι δὲ τοίχους δεξιοὺς λαιούς τ᾽ ἴσοι ἀνὴρ παρ᾽ ἄνδρ᾽ ἕζοντο*, quocum confer Hel. 1491 sqq., ut omittam illa enumerare, veluti *θάσσειν θᾶκόν τινα, καθῆσθαι ἕδραν τινὰ*, alia vulgarissima, in quibus nihil insigne est. His igitur exemplis adductus hic quoque *θρόνον κάθηται* scribendum esse censeo aut, id quod ideo praetulerim, quia corruptela unde irrepsit ita facilius intellegitur, reponendum duco *θρόνῳ ἐγκάθηται.* Nam *ἐγκαθῆσθαι* quidem cum dativo coniunctum prorsus cum usu et ceterorum poetarum et Euripidis consentit, qui, ut insignia quaedam exempla afferam, sic scribit Hel. 269: *ἡμεῖς δὲ πολλαῖς συμφοραῖς ἐγκείμεθα*, quocum confer ibid. 924. Ion. 300: *σηκοῖς ἐνστρέφει Τροφωνίου.* Bacch. 722: *θάμνων δ᾽ ἐλλοχίζομεν φόβαις.* Andr. 24: *κἀγὼ δόμοις τοῖσδ᾽ ἄρσεν᾽ ἐντίκτω κόρον.* Phoen. 309: *γυμνάσιά θ᾽, οἷσιν ἐνετράφην.* Heracl. 560 sq.: *σῇ γὰρ ἐνθανεῖν χερὶ θέλω.*

Denique illa quoque vitii origo fuisse mihi videtur in versu Helenae 785, ubi Helena, postquam Menelao quae ei pericula imminerent a Theoclymeno propter insperatum ad-

ventum decretarumque nuptiarum dissolutionem exposuit, quaerenti ei cum indignatione: *ἦ γὰρ γαμεῖν τις τἄμ᾽ ἐβουλήθη λέχη*; respondet, ut quidem nunc legitur:

ὕβριν θ᾽ ὑβρίζειν εἰς ἔμ᾽, ἣν ἔτλην ἐγώ.

Quod falsum esse neminem fugit; *ὑβρίζειν* enim pendet ex *ἐβουλήθη* versus praecedentis; sed quod scelus voluit vel in animo habuit Theoclymenus in Helenam committere, id ea dicere non potest se iam perpessam esse. Nam quod Hermannus, qui nihil mutandum esse putat, ita haec interpretatur: „Opprobrio, quod subierit, usurum dicit Theoclymenum, servitutem intellegens. Nam v. 283 dixerat: *δούλη καθέστηκ᾽, οὐδ᾽ ἐλευθέρων ἄπο.*“, haec interpretatio vereor ut cuiquam satis faciat, ut non satis fecisse video nec Nauckio nec Kirchhoffio; eiusmodi enim est ut non facile ita ille versus intellegatur ne ab eo quidem, qui attentissime, quae praecedunt, legerit, nisi versus 283 in margine apponatur; atque etiam sic vix perspicitur; nam praegnans haec vis verbi *ὑβρίζειν* de longinquo repetita est. Itaque Nauckius in adnotatione critica scribendum esse iudicat: *ὕβριν θ᾽ ὑβρίζειν εἰς ἔμ᾽· ὢ τλήμων ἐγώ*, qua tamen emendatione percidere mihi potius quam solvere videtur nodum; neque enim qua via irrepserit vitium intellegitur, et, id quod maius est, sententia, quam restituit, vilior quodammodo est nec quidquam habet proprietatis, qua ut huic ipsi loco apta et in sententiarum conexu necessaria se commendet. Kirchhoffius igitur in adnotatione melius: „scribendum: *ὕβριν γ᾽ ὑβρίζων εἰς ἔμ᾽, ἣν ἔτλην ἐγώ.* verum nec quidnam iam sceleris perpessa sit a Theoclymeno, in iis quae antecedunt certis verbis dicit Helena (nam cum dicit: *δούλη καθέστηκ᾽ οὐδ᾽ ἐλευθέρων ἄπο*, haec servitus qualis intellegenda sit sequente statim versu declarat, *τὰ*

βαρβάρων γὰρ δοῦλα πάντα πλὴν ἑνός, scilicet ea, quam exempli causa Theonoe quoque sustinet), sed timet tantum ne patiatur ideoque ad Protei sepulcrum confugit, et prior huius versus pars non tam corruptelae suspicionem movet quam altera; quod vidit etiam Reiskius, qui tamen „soloece,“ ut ait Hermannus, „*ἣν ἔτλην*, i. e., si sustinuissem“ scribendum coniecerat. Itaque paene affirmare ausim sic scripsisse Euripidem: *ὕβριν θ' ὑβρίζειν εἰς ἔμ', εἰ μὴ 'τλην ἐγώ*, h. e., „atque etiam scelere ac vi cogere me in animo habuit, nisi ego voluissem,“ scilicet matrimonium cum eo inire; quod facillime perspicitur, si ad praecedentem versum refertur. *τλῆναι* autem saepissime significat „in animum inducere,“ quod nos dicimus „*sich entschliessen, es über sich gewinnen*,“ ut etiam „audere“ latine usurpatur (notum est Vergilianum illud „aude, hospes, contemnere opes“ et Horatianum „sapere aude“), sufficitque exemplum afferre, quod forte occurrit, Hel. 947: *ἐγὼ σὸν οὔτ' ἂν προσπεσεῖν τλαίην γόνυ οὔτ' ἂν δακρῦσαι βλέφαρα.*

Heracl. 630 sqq. famulus ab Hyllo ad Alcmenam matrem et Iolaum missus nuntiat, adesse herum suum magno cum exercitu, nuntiatoque iam abire se velle dicit, ne desit hero cum hostibus congredienti; Iolaus comitem se simul cum eo profecturum, ut adsit amicis periclitantibus, respondet; refert famulus v. 682:

Ἥκιστα πρὸς σοῦ μῶρον ἦν εἰπεῖν ἔπος.
ΙΟ. *καὶ μὴ μετασχεῖν γ' ἀλκίμου μάχης φίλοις.*
ΘΕ. *οὐκ ἔστ' ἐν ὄψει τραῦμα μὴ δρώσης χερός.*
ΙΟ. *τί δ'; οὐ θένοιμι κἂν ἐγὼ δι' ἀσπίδος;*
ΘΕ. *θένοις ἄν, ἀλλὰ πρόσθεν αὐτὸς ἂν πέσοις.*
ΙΟ. *οὐδεὶς ἔμ' ἐχθρῶν προσβλέπων ἀνέξεται.*
ΘΕ. *οὐκ ἔστιν, ὦ τᾶν, ἥ ποτ' ἦν ῥώμη σέθεν.*

Nauckius in versu 684 pro *τραῦμα* reponendum esse conicit *ῥῦμα*, qua emendatione quid proficiat non video; sive enim *τραῦμα* sive *ῥῦμα* scribis, manet offensio, cur de vultu vel conspectu hic subito sermo incidat. Nec minus mirabar, cum Heraclidas fabulam sine commentario Elmslei, cuius mihi copia tunc non erat, legerem, quod ad versum 683 nec Nauckius nec Kirchhoffius quidquam adnotassent, quem ego, qualis nunc legitur, non expediebam. Itaque aptum difficultatis remedium invenisse mihi videbar, cum ita hunc locum restituendum esse in mentem mihi veniret. Versus enim 684, qui in eo quo nunc positus est conexu inexpectatus venit, quoniam de vultu sive conspectu in iis quae praecedunt nec cogitatur nec dicitur, aptissime mihi quadrare in sententiarum ordinem videbatur, si post versum 687 eum insereremus. Nam versu 687 Iolaus neminem hostium aspectum suum toleraturum esse dicit, *οὐδεὶς ἔμ' ἐχθρῶν προσβλέπων ἀνέξεται·* ad quod si respondet famulus: *οὐκ ἔστ' ἐν ὄψει τραῦμα μὴ δρώσης χερός*, i. e., „in aspectu vulnus non est, aspectu solo nemo vulneratur, manu non agente vel pugnante,“ bene haec cohaerent et cur ita respondeat famulus apparet. Et rursum versu qui nunc est 688 in eo loco posito, unde illum versum sustulimus, etiam versus 683 quid sibi velit intellego, modo interrogationis nota post *φίλοις* interpungamus; nam et postquam ille stultum id esse dixit, si Iolaus senex decrepitus cum hostibus manus conserere vellet, apte hic interrogat: „an non fortis viri est, amicis pugnantibus interesse?“ et bene ad haec refert famulus: „non est iam, quod quondam erat tuum robur,“ *οὐκ ἔστιν, ὦ τᾶν, ἥ ποτ' ἦν ῥώμη σέθεν*, h. e., „at non iam es *ἄλκιμος*, quem tu te ipse dicis.“ Nam si quis forte negat, adiectivuum *ἀλκίμου* separari posse a substantivo *μάχης*, non

magis haec ambigue dixit Euripides quam dixit Vergilius in Culicis versu 205: „pastor . . . vadit et in fessos requiem dare comparat artus.“ Iam vero perturbatio haec ordinis versuum unde deducenda sit manifestum est. Namque versus 684 et 688 easdem fere tres syllabas in initio habent, ut facillime aberrare librarii oculi potuerint. Nec tamen simpliciter hos duos versus permutasse mihi videbatur librarius, sed, cum initio quidem errorem suum non animadverteret, post versum *οὐκ ἔστ᾽ ἐν ὄψει κ. τ. λ.* perrexisse scribentem quae in codice, quem describeret, sequerentur, *τί δ᾽; οὐ θένοιμι κ. τ. λ. θένοις ἂν κ. τ. λ.*, interea vero quid peccaret vidisse, et cum duos versus omisisset, qui in eo quem describebat codice hoc ordine legebantur: *ΘΕ. οὐκ ἔστιν, ὦ τᾶν, ἥ ποτ᾽ ἦν ῥόμη σέθεν. ΙΟ. οὐδεὶς ἔμ᾽ ἐχθρῶν προσβλέπων ἀνέξεται*, ne stichomythiam perturbaret, cum Iolaus iam loqui deberet, sic eorum ordinem instituisse: *ΙΟ. οὐδεὶς ἔμ᾽ ἐχθρῶν κ. τ. λ. ΘΕ. οὐκ ἔστιν, ὦ τὰν, κ. τ. λ.* Itaque sic versuum ordinem restituendum putabam:

ΘΕ. *Ἥκιστα πρὸς σοῦ μῶρον ἦν εἰπεῖν ἔπος.* 682
ΙΟ. *καὶ μὴ μετασχεῖν γ᾽ ἀλκίμου μάχης φίλοις;* 683
ΘΕ. *οὐκ ἔστιν, ὦ τᾶν, ἥ ποτ᾽ ἦν ῥώμη σέθεν.* 688
ΙΟ. *οὐδεὶς ἔμ᾽ ἐχθρῶν προσβλέπων ἀνέξεται.* 687
ΘΕ. *οὐκ ἔστ᾽ ἐν ὄψει τραῦμα μὴ δρώσης χερός.* 684
ΙΟ. *τί δ᾽; οὐ θένοιμι κἂν ἐγὼ δι᾽ ἀσπίδος;* 685
ΘΕ. *θένοις ἄν, ἀλλὰ πρόσθεν αὐτὸς ἂν πέσοις.* 686

Haec igitur scripseram, cum mihi in manus venit editio Elmsleiana, in qua cum multa mea admiratione ad v. 684 haec adnotata inveniebam: „Hunc versum et 688 transponendos esse censet Musgravius,“ nec probasse hanc transpositionem videbam Elmsleium. Idem praecedentem versum 683 ita explicat, ut deleta, quae ante fuerat et quam ego re-

posui, interrogationis nota ex versu 682 suppleat *ἥκιστα πρὸς ἐμοῦ ἐστι* unde haec interpretatio efficitur: *καὶ ἥκιστα πρὸς ἐμοῦ ἐστι μὴ μετασχεῖν ἀλκίμου μάχης φίλοις*. Verum re iterum iterumque perpensa non possum a me impetrare, ut Musgravii vel eam, quam ego proposui, transpositionem improbem. Necessario mihi videtur v. 684 pro responso postponendus esse versui 687, et versum 683 si suppleri voluisset Euripides ex versu praecedente, non puto eum scripturum fuisse *καὶ μὴ μετασχεῖν . . .*, sed *οὐδὲ (πρὸς ἐμοῦ ἐστιν), μὴ μετασχεῖν ἀλκίμου μάχης φίλοις*. — Ceterum in versu, qui est *θένοις ἄν, ἀλλὰ πρόσθεν αὐτὸς ἂν πέσοις*, nec Kirchhoffius mihi recte interrogationis notam ponere videtur post *θένοις ἄν*, nec Nauckius recte proponere *θέλοις ἄν, ἀλλὰ κ. τ. λ.*; iocus ille est famuli et quidem famulo dignus; nam postquam concessit „*θένοις ἄν*,“ addit continuo, quo iam ipso illud quod concessit tollitur, „sed antea ipse cecideris“; est quidem haec contradictio in adiecto, quam aiunt, sed a poeta de industria instituta.

Ion. 1406 sqq. Creusa indicando et describendo singulas deinceps res, quas infanti suo, cum modo natum exponeret, in cistellam addiderat, matrem se Ionis esse huic demonstrat, sermone inter filium et matrem per stichomythiam ita distributo, ut interroget plerumque ille, haec respondeat. Agnoscitur primum vestis, ab ipsa Creusa virgine texta, deinde duo angues aurei; quaerit Ion, quid sibi velint hi et quemnam ad usum appositi sint his verbis v. 1428: *δώρημ᾽ Ἀθάνας, ἢ τέκν᾽ ἐντρέφειν; λέγε.*

ΚΡ. *Ἐριχθονίου γε τοῦ πάλαι μιμήματα.*
ΙΩΝ. *τί δρᾶν, τί χρῆσθαι, φράζε μοι, χρυσώματι;*
ΚΡ. *δέραια παιδὶ νεογόνῳ φέρειν, τέκνον.*

Ex his versum 1428, sive ita, ut eum attuli, cum Nauckio, sive cum Hermanno et Kirchhoffio sic eum scribimus, ut in codicibus legitur: *δώρημ' Ἀθάνας, ἦ τέκν' ἐντρέφειν λέγει*; nullo modo persuadere mihi possum reote se habere. Nam etiam si non moramur, id quod Hermannus poscit, unde compertum habuerit Ion, a Minerva acceptum esse hunc morem angues aureos puerorum fasciis inserendi, quia id cuivis Delphorum vel ex sermonibus Atheniensium, vel e picturis Ioni cognitum esse potuit, etiam si igitur id non moramur (quamquam id certe unus quisque, qui hos versus leget, optimo iure quaeret), tamen offensionem habet quî id *δώρημα Ἀθάνας* dicere potuerit Ion, si ex more antiquo Atheniensium a Minerva instituto mater ei angues aureos in cistam adiecerat. Deinde si scribimus: *ἦ τέκν' ἐντρέφειν λέγει*, non in iis iusserat Minerva pueros ali, sed a Minerva et Erichthonio deducebatur is mos et in memoriam illius miraculi retinebatur. Denique sive *ἦ τέκν' ἐντρέφειν λέγει* Ion dicit, sive quaerit *ἦ τέκν' ἐντρέφειν*; bene se usum eorum anguium nosse demonstrat (nam *ἐντρέφειν* hic nihil aliud significare potest quam quod v. 24 sqq. dicitur: *ὅθεν Ἐρεχθείδαις ἐκεῖ νόμος τίς ἐστιν ὄφεσιν ἐν χρυσηλάτοις τρέφειν τέκν'*, ut *ἐν* praepositio saepe de vestibus, ornamentis, similibus usurpatur, quibus quis indutus vel instructus est). Quî igitur v. 1430, ut qui nullo modo eorum usum perspiciat, quaerere potest: *τί δρᾶν, τί χρῆσθαι, φράζε μοι, χρυσώματι?* Quod nisi nimis temerarium videatur periculum, scribendum sic fere versum esse suspicer: *δώρημα θανάτου, τέκνον ἦ τρέφειν; λέγε.* Solebant enim nonnunquam cum liberis, qui exponebantur ad mortem, matres res pretiosas, anulos praesertim et alia eiusmodi, simul exponere, ut Sostrata cum puella sua in Terentii

Heautont. v. 652, „si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.“ Quaerere igitur Ion poterat, num donum morituro puero mater aureos illos angues adiecisset. Quod si non apte per verba *δώρημα θανάτου* exprimi potuisse videtur, non multo aliter id dictum esse puto, quam exempli gratia *τὸν Ἅιδου κόσμον* Med. 980 sq. et *κοίτᾳ ἐν οἰκτροτάτᾳ θανάτου* El. 158. Omnino vero per genetivum casum a tragicis poetis substantiva diversissimum in modum summaque saepe audacia inter se referuntur, velut Euripides dicit El. 396: *αἰνῶ μὲν οὖν τοῦδ' ἀνδρὸς εἰσδοχὰς δόμων*, i. e., *εἰς δόμους*. Herc. Fur. 1148: *εἶμι πέτρας λισσάδος πρὸς ἅλματα*, i. e., saltus de rupe,“ Sophocles Phil. 17 sq.: *ἵν' ἐν ψύχει μὲν ἡλίου διπλῆ πάρεστιν ἐνθάκησις*, i. e., „duplex sedes solis radiis exposita,“ ibid. 43: „*ἐπὶ φορβῆς νόστον ἐξελήλυθεν*, i. e., „in viam qua victum quaereret se contulit,“ Aeschylus Eum. 537: *ξενοτίμους δωμάτων ἐπιστροφὰς αἰδόμενός τις ἔστω*, et Sept. 629: *πατρῴων δωμάτων ἐπιστροφάς*, i. e., „reditus in domos.“ Denique prope omisi locum huic, de quo loquor, simillimum, qui est Herc. Fur. 548 sq.: *ἩΡ. κόσμος δὲ παίδων τίς ὅδε νερτέροις πρέπων; ΜΕ. θανάτου τάδ' ἤδη περιβόλαι' ἀνήμμεθα.* — Sed ut iam redeam, unde digressus sum, simul ideo videntur matres talia una exposuisse, ut, si forte quis praeteriens expositum infantem invenisset, iis moveretur ut tolleret, aut ne omni omnino ope et spe salutis destitutus infans esset. Quo alterum illud, *τέκνον ἦ τρέφειν* refero, i. e., „an ut puer inde aleretur?“ — Verum tamen mihi in animo non est contendere, sic ipsum, ut ego versum restitui, ab Euripide eum scriptum fuisse, sed rationem tantum indicare conatus sum, qua corruptelae medicina afferenda esse videretur, et id volui probare, eum fere quem

exhibui sensum fuisse in iis, quae nunc depravata procul dubio extant. Imprimis altera coniecturae meae pars neminem facile inveniet cui probetur, quam admisi, dum id quod in codicibus traditum est nimis anxie servare studeo; et fortasse, si licentius traditas litteras tractare liceat, aptius sic reparetur versus: *δώρημα θανάτου δὴ τέκνον στέφειν; λέγε* vel *λέγεις*; (traditum enim est *λέγει*; utrumque autem, et *λέγε* et *λέγεις*, potuisse scribi probatur versibus Medeae 748 et Hecubae 1272) i. e., „ut infantem ornares?“

Ceterum aureos hos angues simulque etiam sacrae olivae ramum in prologo quoque a Mercurio memoratos quondam fuisse suspicor, ubi is quo modo Creusa Ionem exposuerit narrat, excidisse tamen eos versus, quibus haec narratio contineretur, ante versum 20, lacunam igitur ibi esse indicandam. Nam qui nunc ibi extat versuum ordo, in eo Creusa maiorum morem et Erichthonii terrigenae servasse dicitur a Mercurio, quod *κοίλης ἐν ἀντίπηγος εὐτρόχῳ κύκλῳ* fetum suum exposuisset. Quod tamen iis, quae sequuntur, repugnat. Mos enim ille Erechtheidarum ab Erichthonio deductus is erat, ut duos angues aureos puerorum fasciis insererent. Id quidem explicatur versibus 21 sqq.: *κείνῳ γὰρ ἡ Διὸς κόρη φρουρὼ παραζεύξασα φύλακε σώματος δισσὼ δράκοντε, παρθένοις Ἀγραυλίσι δίδωσι σώζειν· ὅθεν Ἐρεχθείδαις ἔτι νόμος τίς ἐστιν ὄφεσιν ἐν χρυσηλάτοις τρέφειν τέκν'*, quae verba, per particulam *γὰρ* praecedentibus adiuncta, illustrando mori illi (*τῷ προγόνων νόμῳ*) inserviunt nec, qualis mos dicatur, quem servaverit Creusa, dubitationem ullam admittunt. Necesse est igitur ante versum 20 narratum fuisse de anguibus a Creusa Ioni in cistam appositis, ut id fecisse dici posset versu 20 *προγόνων νόμον σώζουσα τοῦ τε γηγενοῦς Ἐριχθονίου*. Quod

prorsus ex more Euripidis est, ut illustrandae sequentis fabulae causa in prologo statim narrantem faciat deum aliquem vel hominem et confusionem rerum actionumque et dissolutionem, quae futura sit. Iam vero id si verum est, ante versum 20 mentionem factam esse sacrae olivae ramuli et ornamenti aurei, in versu 25 pro *ἀλλ'*, quae quidem particula vel in eo qui nunc est sententiarum conexu apta non est et a Kirchhoffio quoque in suspicionem vocatur, olim fuisse existimo *ἔτι δ'*. Tertio enim loco ibi memoratur vestis, qua puerum texerat Creusa, cum exponeret, quae postea, ubi ex documentis his se matrem Ionis esse demonstrat, primo loco enumeratur v. 1417 sqq. *Χλιδὴν* quidem saepissime simpliciter esse pro veste divite, qualem gestant regiae virgines et mulieres, vix opus est monere. Quod si autem per litterarum ductum non facile futurum fuisse videtur, ut *ἀλλ'* irreperet pro *ἔτι δ'*, animadvertendum est, cum semel intercidissent illi versus, sane nullum iam locum habuisse *ἔτι δ'*, suppositum igitur esse quidquid melius videretur quadrare, et ita illum sive librarium sive correctorem incidisse in particulam *ἀλλ'* ne ipsam quidem illam satis aptam, aptiorem tamen quam *ἔτι δ'*.

Andr. 757 sqq. Andromacham timentem, ne iter facientes ipsa cum filiolo et Peleo a Menelao insidias et vim patiantur, increpat Peleus et timere vetat; namque et equitum armatorumque copias adfuturas in periculo qui se defendant et se ipsum, quamvis senex sit, satis tamen valere, ut Menelaum quamquam virum robustum fugare possit; neque enim in corpore spem victoriae sitam esse sed in animo, non *τὸν εὐσώματον* praestare sed *τὸν εὔψυχον*. Hanc quam in fine posui sententiam sic verbis reddit Peleus v. 764 sq.:

πολλῶν νέων γὰρ κἂν γέρων εὔψυχος ᾖ
κρείσσων· τί γὰρ δεῖ δειλὸν ὄντ' εὐσωματεῖν;

quod, puto, non aliter latine reddi potest quam sic: „multis enim iuvenibus animosus vir, etiam si senex sit, superior; quid enim opus est eum, qui ignavo animo sit, corpore valere?“ At id nemo, opinor, negabit, opus non esse corpore valere, qui ignavo animo sit, ideoque aptum non esse existimo, si id cum tanta gravitate Peleus asseveret. Verum, quantum ex iis quae antecedunt conicere licet, ne voluit quidem Peleus id dicere, sed et voluit et debuit dicere aut hoc: „quid enim opus est virum, qui fortis animo sit, corpore esse valido?“ quoniam in *εὐψυχίᾳ* tantum pugnae discrimen est, non in *εὐσωματίᾳ* (cf. El. 388 sqq.: *οὐδὲ γὰρ δόρυ μᾶλλον βραχίων σθεναρὸς ἀσθενοῦς μένει· ἐν τῇ φύσει δὲ ταῦτα κἀν εὐψυχίᾳ*), aut hoc: „quid enim prodest corpore esse robusto, si quis animo est inerti?“ Horum vero neutrum est in illis verbis, qualia nunc leguntur. Aut igitur pro *δειλὸν* substituendum est adiectivum sensu prorsus contrario, ut prior illa sententia efficiatur, aut pro *τί δεῖ* substituendum est aliquid quod eandem vim habeat, quam habet latine „quid prodest? quid iuvat?“ Atque hanc alteram in sententiam mutari mihi videtur illud, quod traditum est, facillime sic: *τί γὰρ δὴ δειλὸν ὄντ' εὐσωματεῖν*; h. e., „quid enim illud est, quid enim id sibi vult corpore valere, si quis ignavo animo sit?“

Ad versum 764 Kirchhoffius adnotat: „leg. *εὔψυχος ὤν*,“ quod iam Hermannus dixerat fore fortasse qui coniceret. Et sane, quod Hermannus ait: „Dixit „„etiam si senex animosus est““ pro „etiam senex si animosus est,““ id dubito an non sufficiat ad defendendam codicum lectionem, nec suffecisse apparet Kirchhoffio, qui in ea non iudicavit acquiescendum esse.

Verum principalis in his notio ne est quidem *γέρων*, sed *εὔψυχος*, qui opponitur *τῷ εὐσωμάτῳ*, ad eam igitur cetera mihi videntur adaptanda esse nec ipsa pro appositione addenda esse ad *γέρων*; sic igitur dico sententiarum rationem poscere ut haec disponantur: *πολλῶν νέων γὰρ εὔψυχος, κἂν γέρων ᾖ, κρείσσων.* Ceterum haec ipsa, *κἂν γέρων ᾖ*, eadem sunt apud Sophoclem El. 25 sq.: *ὥσπερ γὰρ ἵππος εὐγενής, κἂν ᾖ γέρων, ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσεν, κ. τ. λ.*, quamquam hoc non pro argumento contra Kirchhoffii mutationem et Hermanni explicationem haberi volo. — Addo, idem quod in libris Euripidis, legi etiam apud Stobaeum flor. 51, 13 *δεῖ*, non *δή*, ne id quod sententiae meae obstat de industria non attulisse ipse mihi accusandus sim; verum tamen credere non possum, recte se illud habere, nisi quis exemplis aliis allatis comprobat, *τί δεῖ* interdum significare „quid prodest,“ quod rationem illo loco necessario postulare arbitror. Ceterum etiam *ᾖ* est apud Stobaeum, quod tamen Kirchhoffius in *ὤν* mutari vult.

Cycl. 502 (apud Herm. 506) Hermannus aliud agentem Matthiaeum arguit verba *θύραν τίς οἴξει μοι* de eo intellexisse, qui, ad fores amicae suae dum staret, portam quis sibi aperturus esset quaereret, ipse autem initium id cantici alicuius fuisse dicit noti tunc Atheniensibus, quo, si non ipsum obscenum fuisset, ut voluerat Musgravius, hoc tamen loco cum obscenitate abuteretur poeta. Persuadere mihi non possum, ita haec interpretanda esse; neque enim video, quo modo haec interpretatio cum iis quae antecedunt concinat. Quis enim vel ad fruendam omnem voluptatem edoctissimus satyrus haec omnia simul explere possit, ut et ad compotationem porrectus sit et amicum virum ulnis amplexetur et amicam in

lecto teneat tenensque cantet: *ϑύραν τίς οἴξει μοι;*? Ut autem singula haec deinceps agere eum dicamus, verba, quae nunc leguntur, non mihi videntur admittere. Recte tamen rursus obicit Hermannus Matthiaeo, non posse quemquam ad fores puellae cantare, quam iam in lecto teneat. Censeo igitur verba *φίλον ἄνδρ᾽ . . . ἑταίρας*, quae in codicibus corrupta procul dubio leguntur, corrigenda quidem esse, sed aliter atque Hermannus ea restituit, et quidem hac ratione, ut ille beatus (*μάκαρ*) ex compotatione cum amico (*φίλον ἄνδρ᾽ ὑπαγκαλίζων*) ad amicae suae fores tumultuosa comissatione veniens describatur. Atque eodem ducere mihi videtur initium antistrophae alterius: *καλὸν ὄμμασιν δεδορκὼς καλὸς ἐκπερᾷ μελάϑρων . . . φιλεῖ τις ἡμᾶς*, in quibus lacunam, quae in codicibus est, explet Hermannus ita ut addat *φίλος ὤν*, quae ego ita corrigenda esse puto, ut puella, cuius ad fores comisatus conviva ille sit iam egredi domo et amatoriis precibus obtemperare dicatur. Nam *καλὸν ὄμμασιν δεδορκέναι* proprie quodammodo videtur dici solitum esse de puellarum, imprimis meretricum, blando captiosoque vultu, velut Hec. 443 quamquam in versibus interpolatis est de Helena: *διὰ καλῶν γὰρ ὀμμάτων αἴσχιστα Τροίαν εἷλε τὴν εὐδαίμονα.* Et Cycl. 553 Silenus, a Cyclope, dum vinum ebibit, deprehensus, „non ebibi," respondet, „sed hic (*ᾧνος*) me basiavit, *ὅτι καλὸν βλέπω*," scilicet ut amator puellam. Phoen. 396 matri, quae dixerat: *αἱ δ᾽ ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας, ὡς λόγος*· refert Polynices: *καλοῖς βλέπουσαί γ᾽ ὄμμασιν, μέλλουσι δέ*, h. e., „velut puellae blando vultu captant et alliciunt, cessant vero." Sin autem retinemus, quae praebent codices, et in lacuna id fuisse putamus, quod reposuit Hermannus, Ulixes videlicet, qui ex antro progreditur, est ille *καλὸν ὄμμασιν δεδορκὼς*

κ. τ. λ., ad quem tamen, ex iis quae attuli, non bene referri posse mihi haec videntur. Nec omnino ullam facetiam ac leporem in his video, si ad Ulixem pertinent; inesset fortasse, si subintellegeretur tantum a choro Ulixes, ambigue vero haec dicta essent, ut a Cyclope aliter intellegi possent; sed in quo iam haec ambiguitas futura sit non perspicio. Itaque, si verum est, eam quam exposui sententiam fuisse in his, sic fere potuisse Euripidem scribere et scripsisse fortasse conicio: *καλὸν ὄμμασιν δεδορκὸς κόριον περᾷ μέλαϑρον καλέον· φιλεῖ τίς ἡμᾶς*; Obversatur mihi in his ante oculos initium scenae III actus I ex Curculione Plauti, ubi Planesium, dum ad Phaedromum suum foras egreditur, haec dicit: „Ubi tu's, qui me convadatu's Veneriis vadimoniis?" Ad haec iam ea, quae sequuntur, non male quadrarent. Nam dum ad Cyclopem iam transit chorus eiusque condicionem sortemque quae ei parata sit cum illo convivio comissationeque, quam modo descripsit, comparat, „te vero," pergit, stipes lucens manet pro terete puella in roridis tuis antris." Ut hic *περᾷ μέλαϑρον* repono, sic est Phoen. 299: *τί μέλλεις ὑπώροφα μέλαϑρα περᾶν*; Strophae vero corruptelas tentare non conor satisque habeo exposuisse, quid de via, quae in corrigendo adeunda sit, sentiam.

Suppl. 581 sqq. Theseus praeconem a Creonte missum Thebas redire iubet, simul pedites equitesque ut iam in Cadmeorum fines pergant imperat, Adrastum vero ut remaneat admonet; nolle enim se illius fata suis admisceri, sed cum suo numine se profecturum et pugnaturum esse praeclarum in proelio praeclaro. Sequuntur versus 594 sqq. hi: *ἓν δεῖ μόνον μοι, τοὺς ϑεοὺς ἔχειν, ὅσοι δίκην σέβονται· ταῦτα γὰρ ξυνόνϑ᾽ ὁμοῦ νίκην δίδωσιν· ἀρετὴ δ᾽ οὐδὲν φέρει βροτοῖσιν, ἢν μὴ τὸν ϑεὸν χρῄζοντ᾽ ἔχῃ.* Hos ego versus

spurios esse existimo. Primum enim post versum 593 nihil amplius desideratur, sed gravis et splendida et omni ex parte plena est haec peroratio: *ἐγὼ γὰρ δαίμονος τοὐμοῦ μέτα στρατηλατήσω κλεινὸς ἐν κλεινῷ δορί.* Deinde inexspectato iterum de diis sermo instituitur, postquam de divino auxilio iam dixit Theseus in iis versibus, quos attuli, et quidem ita instituitur, quasi antea hanc rem omnino non tetigerit, cum transitus fiat per *ἓν δεῖ μόνον μοι.* Denique in ipsis verbis plura mihi inesse videntur non apta. *ἓν δεῖ μόνον μοι* scribere non potuit Euripides; duae enim tantum constructiones admittuntur in verbo *δεῖ*, quantum quidem ego scio, scilicet aut *δεῖ μοί τινος* aut *δεῖ μέ τινος.* Itaque Nauckius scribendum esse censet: *ἓν δεῖ μόνον τοι,* quod num magis dici possit quam illud, diiudicare non audeo, suspicor tamen sic quoque dici debuisse *ἑνὸς δεῖ μόνον τοι.* Kirchhoffius in adnotatione: „legendum: *ἑνὸς μόνον δεῖ,*" quod, si omnino corrigere operae pretium est versus, ut mihi quidem videntur, interpolatos, saltem a grammaticae normis non est vituperandum. Deinde *τοὺς θεοὺς ἔχειν, ὅσοι δίκην σέβονται,* haec nullo modo mihi placent; omnes enim dii ius non spernere putandi sunt; cum vero dicit Theseus: *ὅσοι δίκην σέβονται,* indicare videtur, esse etiam deos, qui ius non colant; sin vero eos deos in mente habet, quibus iuris cura imprimis cordi erat, velut Iovem et Themidem, non puto eos apte dici *σέβεσθαι δίκην,* sed *νέμειν, διέπειν, φυλάσσειν, ταμιεύειν* vel simile quid. Quod vero Marklandus dicit, *ὅσοι σέβονται* id esse *οἳ σέβονται,* idque ad omnes deos pertinere, quia alioquin dixisset poeta *τῶν θεῶν ὅσοι,* si *ὅσοι* significasset „quotquot" partitive: id ipse non satis defendit, cum dicit: „Sic *ὅσ' ἐξισώσει* pro *ἃ ἐξισώσει,* apud Sophocl. Oed. Tyr. 433, ubi nunc legitur *ἅ σ' ἐξισώσει.*" Porro *τοὺς*

θεοὺς ἔχειν non bene dictum esse puto pro illis, quae ut similia affert Marklandus, *χρῆσθαι θεοῖς συμμάχοις, θεῶν τυχεῖν, τοὺς θεοὺς ἔχειν φίλους, ἵλεων ἔχειν τὸν θεόν.* Deinde non apte nec digne ea re, de qua loquitur, scilicet de diis, pergere mihi videtur Theseus: *ταῦτα γὰρ ξυνόνθ' ὁμοῦ νίκην δίδωσιν,* neque enim bene puto deos significari per *ταῦτα.* Quae sequuntur, *ἀρετὴ δ' οὐδὲν φέρει βροτοῖσιν,* haec displicuerunt etiam Nauckio et Kirchhoffio, ex quibus ille pro *φέρει* restitui vult *τελεῖ,* hic iam audaciore conatu mederi morbo studet, cum adnotat: „fort. *ἀρετὴ δέ γ' οὐδενός.*" Denique ne *χρῄζοντα* quidem bene hic dici puto; significat enim, ni fallor, potius „desiderare, petere, studere, velle," quam „adnuere, volentem esse, propitium esse;" nam tenendum est, primariam huius verbi significationem, unde ceterae fluxerint, quae tamen nusquam prorsus evanescat, esse, quantum quidem ego scio, egendi et desiderandi; classicum scriptorem dicturum fuisse suspicor *θέλοντα.*

Herc. Fur. 622 sqq. Hercules ab inferis reversus ut liberator ex mortis periculis a suis excipitur; haerent de vestibus manibusque eius uxor et liberi; nec heros spernit liberorum curam, cum dicit v. 633 sqq.:

πάντα τἀνθρώπων ἴσα·
φιλοῦσι παῖδας οἵ τ' ἀμείνονες βροτῶν
οἵ τ' οὐδὲν ὄντες· χρήμασιν δὲ διάφοροι·
ἔχουσιν, οἱ δ' οὔ· πᾶν δὲ φιλότεκνον γένος.

In his versus 634 alteram, versus 635 priorem partem interpolatas esse puto. Sublatis iis illae quae restant partes duorum versuum bene in unum versum confluunt. Tollenda autem ea verba censeo, quia non modo ipsa omni arte carere sed ceterorum etiam artem turbare mihi videntur. Sententia

in iis inest vulgaris et trita et spernenda, nisi cum ceteris conectitur iisque bene adaptatur, id quod hic prorsus omissum est; dicendum enim erat: „amant liberos suos et meliores mortalium et qui nullo loco sunt, nec minus, cum opibus differant homines, et qui habent et qui non habent.“ Ut vero nunc haec leguntur, nullo modo ea verba ad cetera referuntur. Accedit quod ipsa minime eleganter dicta sunt, sed abrupte et inconcinne, imprimis altera pars, *ἔχουσιν, οἱ δ' οὔ*, quae satis produnt, quam laboriosam interpolator operam impenderit, ut sententiam suam undique circumcisam in angustum hoc spatium comprimeret. Nemo ea, opinor, omissa desiderabit.

Bacch. 278—305 variae enumerantur Bacchi dei potestates et munera, qui malorum humanorum oblivionem mortalibus instillet, cum diis eos, dum libetur, conciliet, ad vaticinandum instinctu suo excitet, denique, dum Martis quoque munera ex parte aliqua suscipiat, exercitus nonnunquam armatos furore iniecto terreat atque fuget. Ex quibus quae postremo enarratur numinis eius vis v. 302 sic verbis declaratur: *Ἄρεώς τε μοῖραν μεταλαβὼν ἔχει τινά.* — Liceat mihi hoc versu uti ad locum quendam Horatii explicandum, in quo similis sententia inesse mihi quondam visa est; quae explicatio cum iam ante in mentem mihi venisset multamque cogitationem iniecisset, non levem mihi opinionis meae affirmationem afferre visus est hic Baccharum versus, cum forte eam fabulam legerem. Nec tamen ideo hic de Horatiano loco adnecto disputationem, quod Horatium imitatum esse aut expressisse versum Euripideum existimem, sed ansa tantum hac utor, ut transeam ad rem, quae aliena fortasse videatur ab hac de Euripide disputatione. — In XVII igitur primi libri carmine sexta et septima stropha hae sunt:

Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra, nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia, nec metues protervum
Suspecta Cyrum, ne male dispari
Incontinentes iniciat manus etc.

„Confundere proelia“ interpretes, quos copia mihi fuit inspiciendi, dum id quod graece est *ταράττειν πόλεμον* comparant (Plat. resp. VIII. p. 567 A: *τυράννῳ ἀεὶ ἀνάγκη πόλεμον ταράττειν.* — Demosth. 18, 151: *πόλεμος πρὸς τοὺς Ἀμφισσεῖς ἐταράχθη*), ita exponunt, ut idem esse dicant atque „bellum miscere.“ Hoc si admittimus, duplex interpretandi ratio iniri potest. Aut enim Bacchus et Mars inter se pugnare dicuntur, aut Bacchus cum Marte consociatus proelia excitare dicitur compotantibus. Quamquam hoc alterum dubito num per usum loquendi liceat ita intellegere; semper enim, nisi quid me fugit, „pugnare cum aliquo“ idem est quod „pugnare adversus aliquem,“ quam ob rem huic interpretationi locus hic non videtur futurus esse, etiam si meliorem praeberet sensum, quam praebet; cur enim Martem sibi Bacchus, cruentum deum, qui virorum caede gaudet, socium adiungat, ut rixas amantibus moveat levissimas? Redit igitur res ad alteram interpretationem, qua Bacchus et Mars proelia inter se conserentes finguntur. Quod sermonis quidem ratio non obstat quin ita intellegatur, sed in hunc sententiarum conexum quo modo quadret non video. Quid enim hic sibi volunt dii inter se pugnantes, non in turba debellantium Troum et Argivorum, ubi in loco sane instituitur *θεομαχία*, sed in compotatione secura amantium? Iam certent et luctentur Mars et Bacchus licet, nihil id curabunt amantes, immo si cernere va-

lent deos oculis mortalibus, spectaculum habebunt gratissimum et admodum ridiculum, quippe quod vel maxime impar futurum sit. At „*παροινία* confertur proelio,“ inquit Orellius, „inter Martem et Bacchum orto.“ Verum primum nullum comparationis indicium est in verbis, sed planissime fluit oratio remque rei simpliciter adiungit. Deinde uter compotantium cum Marte confertur, uter cum Baccho? Expectamus saltem, iuvenem cum deo aliquo, puellam cum dea componi. Denique ego quidem nihil adhuc de certamine Bacchi et Martis audivi, quod ut ad comparationem usurparetur, notum et celebratum esse debebat. — Restat ut ipse quid sentiam explicem. Est enim haud rara poetis Latinis componendi sententias ratio, qua verbum cum substantivo aliquo coniungitur, ad quod (substantivum) non ipsa illius verbi notio pertineat, sive ad quod actio ea, quae verbo exprimitur, non recta, ut ita dicam, via referri possit, sed per alteram demum notionem ad propriam verbi vim subsumendam. Proprie enim duae actiones tali dictione continentur, quarum altera alterius causa, altera effectus est, quae ita, ut praegnans quaedam vocabulis vis tribuatur, in unam actionem et dictionem contrahuntur. Atque iam exempla ut afferam, in epodi 16 versu 30 haec dicit Horatius: „quando .... novâ .. monstra iunxerit libidine mirus amor,“ h. e., „quando mirus amor nova libidine iungendo (scil. diversas bestias) monstra procreaverit;“ nam monstra ipsa non iunguntur, sed gignuntur diversarum bestiarum coniugio, velut tigris et cervi, columbae et milui. Similiter Vergilius in Aeneidos libro X, v. 140: „Te quoque magnanimae viderunt, Ismare, gentes, volnera dirigere et calamos armare veneno,“ et Vergilium fortasse imitatus Tacitus hist. II, 35: „nec proinde nutantes navibus quam stabili gradu e ripa volnera deri-

gebant;“ at volnera nec diriguntur nec deriguntur, propriam huius verbi vim si retinemus (nam quod in lexicis circumfertur, „volnus“ interdum esse pro „telum volnerans,“ id nihili est et ex locis quibusdam quales hi sunt Vergilianus et Taciteus, male intellectis profectum), sed tela diriguntur, volnera efficiuntur telis. Atque ita certe poetae animo res obversata est; cuius tamen rei non tam singulos deinceps actus spectavit, sed imaginem unam in mente habuit, quam cum ita, ut sibi ante oculos esset, unam exprimere nec in partes suas causae et effectus distrahere vellet, una eam etiam dictione complexus est, confisus facile eum, qui legeret aut audiret, ex praegnanti verbi vi rem, quem ad modum acta esset, animo percepturum esse. Simillimus porro paene ex omni parte illi loco est alter eiusdem Vergilii in georgicon libro I, v. 309: „tum tempus figere damas stuppea torquentem Balearis verbera fundae;“ quippe enim funda torquetur (cf. Propert. V, 3, 65), non verber. Porro Aen. XI, 82: „caeso sparsurus sanguine flammam,“ i. e., sanguine caedenda victima profuso.“ Aen. VI, 644: „Pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt,“ pro eo quod est: „pedibus plaudendo choreas ducunt;“ cui versui comparari apte posse videtur Eur. El. 180: *εἱλικτὸν κρούσω πόδ' ἐμόν*, ubi Bekkius (ut apud Seidlerum adnotatum video): „*κρούσω*, i. e., *κρούουσα κινήσω πόδα*, et Iph. Aul. 1040 sqq.: *Πιέριδες ἐν δαιτὶ θεῶν χρυσεοσάνδαλον ἴχνος ἐν γᾷ κρούουσαι.* Aeneid. V, 155: „Pristis Centaurusque locum tendunt superare priorem,“ h. e., „superando navem, quae ipsas antecesserat, priorem locum obtinere tendunt.“ Propert. I, 1, 20: in magicis sacra piare focis,“ i. e., „piantem deos sacra facere;“ et fortasse etiam IV, 10, 9: „Inde coronatas ubi ture piaveris aras,“ i. e., „pians deos aras colueris;“ quibus

fortasse apte asseri potest Iph. Taur. 53 sq.: *τέχνην τήνδ᾽, ἣν ἔχω ξενοκτόνον, τιμῶσα*, i. e., dum artem hanc, quam habeo hospitibus fatalem, pians Artemin exerceo.“ Nec denique illa non huc faciunt, quae saepissime apud Ovidium leguntur, velut in altero artis amatoriae libro, versu 623, „iungere voluptatem,“ 679 „Venerem iungere,“ alia. — Eadem igitur ratione etiam in illo Horatii versu, de quo disputo, verba „nec Semeleius cum Marte confundet Thyoneus proelia“ brevi comprehensione dicta et sic explicanda esse existimo: „nec Bacchus confundendo cum Marti (scil. munus suum), i. e. *Ἄρεως μοῖραν μεταλαβών τινα*, proelia ciebit (scil. nobis).“ Martis enim est proelia excitare. Lepide autem Bacchus vinolentis rixas si incutit, cum Marte partes suas commutasse et confudisse dici potest eaque interpretatio ad universam huius loci artem videtur apta esse, ubi non sine faceta grandiloquentia amatorum compotantium iurgia proelia vocat poeta Bacchumque magnifice et cumulate Semeleium Thyoneum appellat. — Ceterum eadem verborum iunctura, ut iam ad Euripidem revertar, Graecis quoque poetis est usitatissima. Orest. v. 289 sqq.; *οἶμαι δὲ πατέρα τὸν ἐμὸν εἰ κατ᾽ ὄμματα ἐξιστόρουν νιν, μητέρ᾽ εἰ κτεῖναί με χρή, πολλὰς γενείου τοῦδ᾽ ἂν ἐκτεῖναι λιτὰς μήποτε τεκούσης εἰς σφαγὰς ὦσαι ξίφος*, i. e., *ἐκτείνοντα* (scil. *χεῖρα*) *γενείου τοῦδε πολλὰς ἂν λίσασθαι λιτάς*, ubi, similiter atque apud Horatium ad „confundet“ additur „cum Marte“ et suppletur „numen“ vel „munus,“ ad verbum *ἐκτεῖναι* additur *γενείου τοῦδε* et suppletur *χεῖρα* (cf. El. 1214 sq. Iph. Taur. 362). Suppl. 1205: *ᾗ (μαχαίρᾳ) δ᾽ ἂν διοίξῃς σφάγια καὶ τρώσῃς φόνον*, i. e., „volnerando mortem paraveris.“ Soph. Aj. 55: *ἔνθ᾽ εἰσπεσὼν ἔκειρε πολύκερων φόνον*. Ant. 973: *ἕλκος τυφλωθὲν ἐξ ἀγρίας*

δάμαρτος. Eur. Troad. 755 sq.: *λυγρὸν δὲ πήδημ᾽ εἰς τράχηλον ὑψόθεν πεσὼν ἀνοίκτως πνεῦμ᾽ ἀπορρήξεις σέθεν*, i. e., „frangendo (scil. cervices) spiritum efflabis,“ ut de eodem Astyanacte dicitur v. 785: *ὅθι σοι πνεῦμα μεθεῖναι ψῆφος ἐκράνθη*. Phoen. 564 sq.: *ὄψει δὲ πολλὰς αἰχμαλωτίδας κόρας βίᾳ πρὸς ἀνδρῶν πολεμίων πορθουμένας*, i. e, „expugnando (scil. urbem) captas,“ nec sic simpliciter, ut interpretatur scholiasta, pro *αἰχμαλωτιζομένας*. El. 315 sq.: *πρὸς δ᾽ ἕδρας Ἀσιάτιδες δμωαὶ στατίζουσ᾽, ἃς ἔπερσ᾽ ἐμὸς πατήρ*. Homer. A. 125: *Ἀλλὰ τὰ μὲν πολίων ἐξεπράθομεν, τὰ δέδασται*. Iph. Aul. 1056: *πεντήκοντα κόραι Νηρέως γάμους ἐχόρευσαν*, i. e. „saltando nuptias celebrabant.“ 1480 sq.: *ἑλίσσετ᾽ ἀμφὶ βωμὸν Ἄρτεμιν*, i. e., „saltando veneramini.“ Herc. Fur. 689 sq.: *τὸν Λατοῦς εὔπαιδα γόνον εἱλίσσουσαι καλλίχορον*. Iph. Aul. 1493: *συναείδετ᾽ Ἄρτεμιν*, i. e., „canendo colite“ 1468 sqq.: *ἓν συντεμοῦσα πάντα νικήσω λόγον*, i. e., „toto comprehenso sermone unum dicens vincam.“ Denique non omittendum est, quod etiam in prosa oratione dicitur, *ὅρκια τέμνειν*, et idem latine „foedus icere,“ quae dictiones explicatione non egent.

Exposui iam, quae mihi proposueram. Ut igitur iam perorem, aliqua ex his vera certaque fore confido, de aliis dubitari posse vel a me aberratum esse a vero, argumentis facile pervincar ut concedam, temere aut inepte me dixisse spero nihil.

---

a. d. V Kal. Aug. MDCCCXCVI
Bryn Mawr

VITA.

Carolus Fridericus Gustavus Schliack die XIX mensis Augusti anno h. s. XLVIII Crosnae, in oppido Neomarchico ad Viadrum fluvium sito, natus sum. Litterarum elementa edoctus Ioachimicum gymnasium Berolinense adii, quod tunc viro illustrissimo Kiesslingio rectore florebat, et inter numerum alumnorum receptus sum. Vicesimum annum modo ingressus maturitatis testimonio accepto in Lipsiensem academiam me contuli philologiae operam daturus. Cum per annum ibi scholis doctissimorum virorum Brockhausii, G. Curtii, Ecksteinii, Klotzii, Overbeckii, Ritschelii, Zarnckii interfuissem, in academiam Berolinensem commigravi. Insequente anno, cum bellum Francogallorum subito ingrueret, nomen ultro professus stipendia merui et menses novem ad Lutetiam Parisiorum miles peregrinatus post exactum demum annum Berolinum redii, ut studia intermissa redintegrarem. Audivi viros illustrissimos Bonitzium, E. Curtium, Droysenium, Geppertum, Hauptium, Hübnerum, Kirchhoffium, Mommsenium, Müllenhoffium, Trendelenburgium, Werderum, Zellerum; sodalis fui philologicae societatis Hübneri et historicae Mommsenii. His viris omnibus optime de me meritis gratias hoc loco ago maximas.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Lucretii versus I, 965 sqq. sic scribendos esse conicio:

nec refert quibus adsistas regionibus eius:
usque ab eo, quem quisque locum possedit, in omnis
tantundem partis infinitum omne relinquit.

Nunc in v. 966 legitur „usque adeo."

II. In eiusdem Lucretii IV, 39 sqq. versibus:

neve (reamur) aliquid nostri post mortem posse relinqui,
cum corpus simul atque animi natura perempta
in sua discessum dederint primordia quaeque.

sine causa Lachmannum „quaeque" mutasse in „quoique" existimo.

III. Aeschylum ter in Sicilia fuisse puto.

IV. In priore operis Thucydidei parte vestigia agnosco, quibus scriptorem nondum bellum Deceleicum attigisse probetur, cum illam partem scriberet, neque hanc Ullrichii sententiam probabiliter impugnatam a Classenio contendo.

V. Soph. Antig. v. 360 sqq. sic emendandos esse existimo:

ἄπορος ἐπ᾽ οὐδὲν ἔρχεται
τὸ μέλλον· Ἅιδα μόνου
φεῦξιν οἰ διδάξεται·
νόσων δ᾽ ἀμηχάνων φυγὰς ξυμπέφρασται.